

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM II. BACHIENSE, ANNI 1518.

*In causa triumphans, executionem facienti, viribus et facultate sua assistere debet.*

A r t i c u l u s 6.

De Dominis quoque, Iudice Curiae Regiae, in Ungaria; nec non Bano Regnorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac Waywoda Transylvano, sub eorum officiolatibus, in Sclavonia et Transylvania, per omnia idem est intelligendum.

3. Quod, si in Sclavonia, vel Transylvania continget; Nobiles quoque Regnorum illorum, pariter succurrere sunt obligati.

*Bani ambo, ex castris finitimis non prodeant: et Provisores ad castra finitima deputentur.*

A r t i c u l u s 21.

Bani castrorum finitimorum, semper in eisdem castris finitimis maneant:

§. 1. Et unus eorum, sub nota perpetuae infidelitatis, nunquam de castro egredi audeat.

§. 2. Et quod ad omnia castra ipsa finitima, Provisores per Regiam Majestatem constituentur, qui tam ad ingenia; quam etiam victualia, et alia eorum necessaria (modo, tempore quondam Domini MATTHIAE Regis observato) providere teneantur.

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM III. BACHIENSE, ANNI 1519.

*In Sclavonia et Transylvania, eodem modo, uti in Ungaria; fiat executio judiciorum.*

A r t i c u l u s 22.

Quod executio in causis et judiciorum deliberationibus, tam in Sclavonia et Transylvania, sub eisdem conditionibus et poenis, quibus in Ungaria; semper fieri debeat.

LUDOVICI II. REGIS DECRETUM IV. BUDENSE, ANNI 1522.

*Infideles, qui castra Nandoralbense et Sabacz amiserunt, pronunciantur.*

A r t i c u l u s 60.

Universa castra, castella, oppida, villas, possessiones, ac cuncta jura possessionaria illorum, qui castra Nandoralbense, et Sabacz nuper amiserunt; tanquam infidelium, vigore generalis Decreti condemnatorum; Regia Majestas ad manus suas Regias defacto accipiat:

§. 1. Et illa, nemini nunc distribuat; sed salvum conductum illis, si voverint et postulaverint, concedat: